

## Erhebung der Kirche Maria Plain zur Basilica minor

Dem Antrag des Erzbischofs von Salzburg wurde durch folgendes Apostolisches Breve vom 22. September 1951 entsprochen:

PIUS XII.

*Ad perpetuam rei memoriam*

*Gementium Solatrix eademque ad caelestem gloriam Assumpta, Beata Maria Virgo in Templo, supra amoenum montem „Plain“, quem vocant, prope Salisburgum posito, religiosis ornatur obsequiis estque ibi Christifidelibus perfugium salutis ac praesidium. Cuius quidem Aedis laudes potissimum vulgatae sunt propter eiusdem Deiparae Simulacrum, ante quod preces fundentes, miram supernorum largitatem pluries experti sunt Dei Genetricis diligentissimi cultores. Haec enim Imago Ratisbonae olim exstans et, anno MDCLII, primum in summo colle locata, post nonnullos casus, anno MDCCXXXII\*), restituta fuit atque, sex fere lustris expletis, Benedicti PP. XIV, Decessoris Nostri, fel. rec., nomine et auctoritate aureo diademate redimita. Loco Sacelli lignei, jam dudum ibi conditi et minoris templi in octo angulos postmodum exstructi, Maximilianus de Kuenburg, Archiepiscopus Salisburgensis anno MDCLXXI, novam amplioremque Ecclesiam eo genere aedificandam curavit quod a renatis antiquorum artibus dicere consueverunt. Duae sacrae turres, camera praecelsa, statuae ex marmore eam condecorant haud mediocriter; maximum quoque altare, quattuor columnis tortilibus insigne, Tabernaculum aere inaurato obductum, Imagines Sanctorum, cancelli ex ferro artificiose facti, huic Aedi, Monachis Ordinis Sancti Benedicti creditae, plurimum addunt nitoris atque ornamenti. Quo vero Christifideles ad Caelorum Reginam magis magisque in dies excolendam provocarentur, Venerabilis Frater Andreas Rohrer, Archiepiscopus Salisburgensis, preces ad Nos admovit ut hoc Templum Basilicae Minoris nomine ac jure donaremus. Quas pias expostulationes Nos, quibus summopere cordi est ut homines, gravis huius saeculi jactati procellis, ad Dei matrem fidentes confugiant, libentissime statuimus audire. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolica potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae in Monte „Plain“ intra Archidioecesis Salisburgensis fines consecratam, ad dignitatem et honorem*

\*) Die Jahreszahl bezieht sich offenbar auf das Datum der Übertragung des Gnadenbildes an den Hochaltar.

*Basilicae Minoris evehimus, omnibus adjectis juribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite judicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Septembris, anno MCMLI Pontificatus Nostri tertio decimo.*

*De speciali mandato Sanctissimi  
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae  
negotiis*

*Gildo Brugnola  
Officium Regens  
Pontificiis diplomatibus expediendis*

Die feierliche Erhebung vollzog S. E. Erzbischof Dr. Andreas Rohrer am 1. Krönungssonntag, den 13. Juli 1952.